



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XL. De electione ad gloriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



DISPUTATIO XL.

De Electione ad gloriam.

Vita aeterna nobis, & per modum hereditatis contingit, & corona.

Diversitas inter parvulos & adultos.

**V**ITA, & beatitudo aeterna duobus modis hominibus contingit, & tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces, bonis eorum operibus & meritis reddenda, seu tanquam hereditas & corona, ut tum ex Patribus communiter, tum Concilio Tridentino Sess. sexta, cap. 16. habetur. Primus modus competit parvulis, & illis prope etiam aetatis, qui ante rationis usum in gratia finali decedentes, & per eam Filii Dei constituti, jure hereditatis regnum aeternum consequuntur. Secundus modus solis convenit adultis, ratione utentibus, utpote qui soli bonorum operum, & meriti sunt capaces; licet forte nec omnes hi adulti caelum semper per merita, seu ut coronam adipiscantur, ut, Deo dante, in materia de Incarnatione ostendam. His positis, sit

SECTIO PRIMA.

Variae opiniones circa electionem ad gloriam, ante vel post merita absolutè praevisa.

I. Status quaestiois proponitur.



**Q**UAESTIO est, quando justus per merita caelum & beatitudinem consequitur, utrum Deus prius merita ipsius absolutè posita, per scientiam visionis praevideat, atque ex illa praevisione gloriam ei & beatitudinem, ut praemium decernat; an e contra per scientiam conditionatam videns, si haec & haec dentur auxilia, hominem aliquem bene operaturum, & habiturum merita, prius efficaciter intendat Deus per voluntatem absolutam dare ei gloriam, quam habeat merita, seu quam Deus illa absolutè praevideat, pro aliqua differentia temporis existentia. Quae quaestione nulla magis hodie inter Theologicas controversa.

II. Prima sententia affirmat dari electionem ante praevisionem merita.

Prima itaque sententia universim asserit, tum homines omnes, tum Angelos, qui sunt praedestinati, ante merita absolutè praevisa esse electos, ex merito scilicet Dei beneplacito, ac decreto gloriam iis absolutè statuente antecedenter ad existentiam aut praevisionem meritum: ita Bellar. lib. 2. de gratia & lib. arbitr. cap. 15. Suarez hic lib. 1. de Praedest. cap. 8. Salméron, Henriquez, Arrubal hic, disp. 72. & omnium acerrimè Tannerus hic, disp. 3. q. 5. dub. 3. & 4. ubi plurimos citat ex antiquis, & inter alios Albertum, Scotum, Durandum, Gregorium, Capreolum, & alios: estque communis Thomistarum opinio. Quam etiam sententiam defendit, & fusè probat P. Arriaga hic, disp. 36. sect. 3. & quartà.

III. Secunda sententia docet electionem ad gloriam non fieri nisi praevisione merita.

Secunda sententia huic è diametro opposita affirmat, nullum vel Angelum vel hominem ratione praeditum, ad gloriam per electionem efficacem, ante merita absolutè praevisa esse praedestinatum: ita Vasquez hic, disp. 89. Stapletonius in cap. 9.

ad Roman. Lessius de Praedest. sect. 2. Valencia 1. p. q. 23. punct. 4. §. 4. Becanus hic, cap. 14. q. 4. Moncaus disp. 4. Alarcon Tract. 4. disp. 2. cap. 11. Maratius 1. p. disp. 41. Herice hic, d. 23. Faber tom. 2. in 1. disp. 58. cap. 4. P. Vekenus hic, Disput. 26. cap. 4. num. 7. & ex antiquis pro eadem citantur Halensis, S. Bonaventura, & alii.

Tertia sententia, media inter duas praecedentes ait, licet praesentia seu praevisione absoluta meritum ut plurimum antecedit electionem ad gloriam, quosdam nihilominus eximie à Deo dilectos, peculiari modo esse praedestinos, & ante merita praevisa: ita Okam in 1. dist. 41. q. 1. Gabriel ibidem q. 1. a. 2. Catharinus Opusc. de Praedest. tione Dei, lib. 1. & alii nonnulli, qui singulare hoc privilegium Beatissimae Virgini, S. Joanni Baptistae, Apostolis, & aliis hujusmodi datum esse asserunt, non tamen passim omnibus concessum.

Quarta quorundam sententia est existimantium praedestinos, ante merita praevisa, ad minimum gloriae gradum eligi, illum nempe, quem parvuli statim post baptismum extincti consequuntur: quicquid autem primo huic gradui gloriae adjungitur, non nisi praevisionis meritis à Deo ipsis conferri asserunt; sicque primum gradum gloriae, inquirunt, planè gratis accipiunt, reliqua per & post merita jam exercita, & à Deo praevisa.

Quinta demum hac in re sententia affirmat, nullam in actibus ac decretis divinis esse inter merita & gloriam ratione nostrae prioritatem, sicque nec merita ante voluntatem dandi gloriam praevideri, nec e contra; sed utraque, inquirunt hi auctores, habent se concomitanter, & Deus unico actu re & ratione, merita propter gloriam, & gloriam vult per se propter merita. Hoc modo de meritis & gloria discurret Molina hic, q. 23. art. 4. Disp. 1. membro 8. Granado 1. p. tract. 5. disp. 8. & alii nonnulli.

IV. Tertia sententia dicit aliquos ante, aliquos post praevisionem merita eligi.

V. Quarta sententia docet praedestinos, ante praevisionem merita, ad minimum gradum gloriae eligi.

VI. Quinta sententia nullam in actibus divinis esse inter merita & gloriam ratione nostrae prioritatem.



SECTIO SECUNDA.

Rejicitur quinta sententia, de Decretò concomitante.

I. In priorè sententiâ Deus non omnino dat gloriam ab merita.

VT ab hoc ultimo incipiam, existimo, non solum de facto Deum ejusmodi decretum non habere, quale ponit hæc sententia, sed nec posse per talem volitionem dare gloriam propter merita, ita ut merita respectu gloriæ veram habeant causalitatem moralem; & meritis propriam: ita Suarez lib. 1. de Prædestinatione, cap. 8. num. 4. Vasquez 1. p. disp. 89. Herice hic, disp. 23. cap. 2. num. 21. & alii. Prima pars, præterquam quòd fati probetur ex secundâ, postea tamen ex processu ostendetur.

II. Ostenditur esse diversum ratione actum, quo Deus gloriâ vult propter merita.

Secunda itaque pars probatur: merita sunt causa collationis gloriæ, ut etiam admittunt hujus sententiæ assertores: ergo distinctus esse debet actus, scilicet ratione, quo Deus vult gloriam, seu præmium, ab eo quo vult merita: patet consequentia, actus quippe quo vult gloriam, sequitur tantum in tertio signo, ac proinde esse nequit eadem formaliter volitio cum volitione meriti. Quod autem volitio gloriæ per modum præmii sequatur in tertio signo probatur, bona opera namque movere nequeunt per modum meriti, nisi ut actû & absolute futura vel existentia; opera siquidem conditionatè tantum futura non existunt sufficienter ut moveant ad præmium actu dandum; sicut nec mala opera, seu demerita conditionatè solum futura movere possunt ad pœnam, eorum intuitu infligendam, ut contra Semipelagianos docet S. Augustinus, & alii Patres.

III. Sententia judicialis absolutam causâ cognitionem requirit.

Hujus autem ratio ulterior est, quia sententia judicialis non requirit ut sciatur quid homo in his vel illis circumstantiis esset facturus, sed quid re ipsa & actu fecerit, & absolutam postulat causæ cognitionem. Merita ergo ut Deum moveant ad dandum præmium, esse debent absolute futura, vel existentia. Deinde in secundo signo esse debet eorum visio hoc modo existentium, nec enim movere voluntatem possunt, nisi cognoscantur: ac tertio tandem signo sequitur volitio dandi gloriæ tanquam præmium intuitu illorum; ergo esse nequit eadem volitio formaliter meriti & præmii.

IV. Natura, & influxus motorum in gloriâ magis declaratur.

Secundò probatur idem, & magis declaratur: in tantum aliquid est causâ moralis respectu alterius rei, in quantum, licet ipsum physicè in rem illam non influat, nec eam per se producat, movet nihilominus voluntatem causâ physicæ, ut rem illam velit efficere: hic enim est conceptus causæ moralis, præsertim meritoria, quæ propterea ab omnibus reducitur ad efficientem. Sicut ergo causâ efficiens physica existere prius debet, quam operetur physicè, ita & causâ meritoria: quare atque implicat Deum velle opera bona esse causam meritoriam gloriæ, & tamen velle utraque concomitanter & dispartatè, ut docet hæc sententia, seu ita ut non velis gloriâ ob merita, & ut hæc eum moveant ad volendum gloriâ; ac implicat eum velle ignem esse causam caloris, & tamen non velle ut producat calorem.

Comparatur causa efficiens eorum meritoria.

Confirmatur: in hoc causâ finalis differt à meritoria, quòd illa ut possibilis, vel conditionatè solum futura moveat, seu ut ipsa fiat; hæc vero non movet nisi ut existens, nec ut fiat, sed quia facta est, saltem in præsentia. Hoc ex diverso modo loquendi Scripturæ colligitur; de causâ enim finali

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

dicit Apostolus 1. ad Corinthios 7. v. 25. Misericordiam consecutus sum a Domino, ut sim fidelis, non quia sum fidelis, ut notat S. Augustinus. De meritis verò dicitur Matthæi 25. v. 34. Venite benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum, &c. Esurivimus enim, & dedistis mihi manducare &c. Qua de causâ S. Thomas q. 29. de veritate ait meritum non causare per modum causæ finalis, sed efficientis.

Ex his constat habere verum non posse, quod asserunt hi Auctores, merita scilicet esse causam gloriæ ex parte objecti, non ex parte actus; hoc, inquam, non subsistit, causa enim moralis meritoria causalitatem suam in objectum immediatè non exercet, sed mediatè tantum, movendo scilicet voluntatem alicujus, ut præmium illius intuitu tribuat. Et hæc est propriè causalitas causæ moralis meritoria, in quo differt à modo operandi causæ physica, ubi causalitas immediatè exercetur inter res ipsas, ut ignis immediatè producit calorem, merita autem immediatè non producant præmium, nec nisi movendo voluntatem præmiantis ut illud conferat.

VI. Male docent hi Auctores merita causare gloriam ex parte objecti, non ex parte actus.

Idem ergo universim est mereri præmium, & mereri voluntatem dandi præmium; & consequenter opera bona mereri gloriam, est illa mereri decretum Dei dandi gloriâ. Nec obstat, quod D. Thomas hic, q. 23. art. 5. Corp. affirmet nullum fuisse tam insane mentis, qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis; intelligit enim S. Doctor merita non esse causam illius quoad entitatem actus, seu physicè, non quòd non sint causa illius moraliter, & quoad terminationem, seu denominationem, quòd nimirum moveant Deum ad habendum actum liberum, quo velit gloriâ ob merita largiri.

Merita non causant gloriam immediatè.

VII. Meriti præmium est, mereri voluntatem illud dandi.

Explicatur dictum quoddam S. Thomæ.

SECTIO TERTIA.

Sitne possibilis electio efficax ad gloriam tanquam præmium, ante prævisa absolute merita.

CERTUM est posse Deum homines vel Angelos ad gloriam, nullis eorum prævisis meritis eligere; sicut eligere & dare gloriâ illi potest, qui nulla omnino habet merita, ut de facto eam concedit parvulis baptizatis, ex hac vitâ antè rationis usum decedentibus. Et licet in illis videat gratiam finalem, absolute tamen posset, si vellet, gloriâ iis conferre, etiam si nullam in hac vitâ gratiam habuissent. Imò homini, in quo multa videt mala opera, potest efficaciter velle, & conferre gloriâ; ergo à fortiori velle eam potest illi, in quo non prævidit opera bona; neque hoc inficiari quemquam posse existimo; Deo enim integrum est de bonis suis, prout ei visum fuerit, disponere.

I. Deus absolute potest eligere ad gloriam, non prævisis meritis.

Potest aliquid prævisis malis operibus, ad gloriâ eligere; ergo à fortiori non prævisis bonis.

Difficultas ergo præsens est, utrum, non prævisis absolute meritis, possit Deus, non quomodocunque velle alicui gloriâ, sed per modum præmii, intuitu bonorum operum, seu meritum, quæ habiturus est, conferendam.

II. Status præsentis questionis.

Non pauci ex recentioribus existimant, positâ electione ad gloriâ efficace ante merita absolute prævisa, non posse gloriâ dari postea ob merita: nam ut sectione præcedente diximus, merita non movent nisi ut existentia: ergo si prius detur gloriâ, quam merita existant, implicat ut detur dependentè ab illis, seu ut merita primò moveant

III. Argumentum contra electionem ad gloriâ, ductum ex naturâ meriti & præmii.



Dei voluntatem ad illam, cum antecederet ad eorum existentiam gratis voluerit Deus illam conferre, ergo merita non simpliciter movent Deum ad volendum dare gloriam, ne quidem quoad executionem, cum ante merita, illius executionem decreverit, velle enim dare & velle exequi sunt synonyma; merita proinde non movent quoad substantiam collationis gloriæ, sed solum quoad circumstantiam, & modum, nempe ut ex hoc potius motivo detur quam ex alio, & ut prædestinatus habeat gloriam ob merita, quam simpliciter ex vi prioris Dei voluntatis seu decreti erat habiturus, sive habuisset merita, sive non.

*Si electio fit ante prævisam merita, hæc non videntur esse causa illius quoad substantiam.*

**IV.**  
*Contra quos vim habeat argumentum dictum ex conceptu meriti.*

**V.**  
*Aliud est gratis velle dare aliquid, aliud velle dare gratis.*

*Deus liberaliter vult dare gloriam ob merita.*

**VI.**  
*Deus videt Petrum in his circumstantiis habiturum gloriam per meritum, ergo potest hoc velle.*

**VII.**  
*Exemplo venditionis & emptionis in creatis res hæc illustratur.*

Hic discursus, quamvis probabilitatis speciem præ se ferre videatur, & contra eos vim habeat, qui electionem ad gloriam ponunt omnino à meritis independentem; eo tamen modo statui potest hæc electio, ut quamvis gratis fiat, influxus tamen meritorum in collationem gloriæ non tollatur.

Notandum itaque cum Suarez lib. 3. de auxil. sect. 19. num. 5. Tannero 1. p. d. 3. q. 5. dub. 4. num. 66. Arriaga hic, d. 35. sect. 2. num. 20. & aliis contra Thomistas & Scotistas, asserentes intentionem illam, seu electionem ita esse circa gloriam, ut in eâ nulla mentio fiat meritorum: notandum, inquam, aliud esse, liberaliter seu gratis velle aliquid dare, aliud velle illud dare gratis: hæc, inquam, longè sunt diversissima. Deus itaque plane gratis & liberaliter velle potest dare gloriam, cum à nemine ad habendam huiusmodi voluntatem cogatur, non tamen propterea vult gloriam dare gratis, sed tanquam præmium & coronam, ac proinde ob merita. Et eodem recidit, quod dicunt aliqui, huiusmodi electionem esse gratuitam ex parte actus, non ex parte objecti.

Confirmatur, & magis declaratur ratio allata. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videt posse Petrum obtinere gloriam per merita: ulterius etiam videt per scientiam conditionatam, si talia ei dentur auxilia, fore ut de facto habeat huiusmodi merita; ergo habere potest Deus intentionem efficacem dandi ei gloriam ob merita, seu tanquam præmium: omne enim possibile eo modo quo est possibile, velle potest Deus. Quo argumento utuntur multi, qui nobis hic sunt contrarii, ad probandum posse à Deo præfiniri actum liberum. Jam ergo Deus per hanc electionem vult absolute, ut Petrus habeat gloriam tanquam præmium, seu coronam, & consequenter per merita, & non nisi per merita, & tamen hic merita non sunt prævisa absolute futura, cum necdum sint futura absolute, sed ad summum videntur futura conditionate, ergo non prævisis absolute meritis potest Deus efficaciter eligere aliquem ad gloriam.

Res hæc ulterius explicatur exemplo ab humanis desumpto, quod bene urget Arriaga citatus: Vult aliquis verbi gratiâ vendere equum, volitionem hanc habet gratis, sicut ex parte subiecti est gratuita, & liberalis, cum omnino sponte illam habeat; at ex parte objecti voluntas hæc non est gratuita, non enim donare alteri vult equum, sed vendere, nec nisi soluto iusto pretio eum illi concedere. Imò si Deus ei revelaret, si crastino die offerat Petro equum emendum, fore ut eum emat, potest non solum absolute velle vendere equum, sed etiam velle ut Petrus eum emat, cum in potestate suâ habeat hæc in parte voluntatem Petri, efficeretque pro libito possit, ut det pecuniam, & equum recipiat; nisi tamen prius pecuniam, seu pretium solvat, nunquam illum habebit. Idem

ergo facere potest Deus de gloriâ, intendere scilicet illam tanquam coronam alicui, aut præmium concedere, sicut absolute velle ut Petrus illam per merita obtineat, non nisi per merita nihilominus eam habiturus.

Ad argumentum itaque supra numero tertio propositum respondeo, quamvis merita non movent, nisi ut existentia, ut totâ sectione præcedente ostensum est, hoc tamen non obstat, quominus Deus eligere ad gloriam possit tanquam coronam & præmium, iis non prævisis ut actu futuris, aut existentibus; ad huiusmodi enim voluntatem habendam sufficit merita videri ut possibilia, vel saltem ut futura conditionate: Deus siquidem, ut num. 5. & 6. ostensum est, videns Petrum, si talia ei dentur auxilia, hæc vel illa bona opera elicitorum, per quæ gloriam mereatur, velle potest ut per illa eam obtineat. Ex vi ergo huius voluntatis divinæ Petrus habebit merita, & his positis, & prævisis, Deus aliam habet voluntatem, quæ exequi vult prius decretum, & gloriam, quam per modum coronæ, ei per priorum voluntatem ob merita conditionate cognita intendebat, his prævisis ut in aliquâ temporis differentia actu existentibus, jam per modum coronæ dabit, & præmium pro meritis reddet.

Deus ergo nunquam intendit dare gloriam independentem à meritis; imò absolute intendit eam non dare nisi ob merita, eaque actu futura, & prævisa, non quidem prævisa ante hanc intentionem, seu electionem, sed ex hac Dei volitione sequetur operum, seu meritorum futuritio, quæ prævisa vult gloriam instar præmii seu coronæ actu conferre, & secundum hæc actus volitionis in Deo oritur ratione nostrâ ex primo.

Quamvis autem ante intentionem illam efficacem merita sint prævisa tantum conditionate, non tamen unquam intendit Deus gloriam dare ob merita conditionate solum futura, sed per hanc intentionem vult ut prædestinatus habeat merita, & de statu conditionato transeat in absolutum, & ubi hoc factum fuerit, ut ob illa habeat gloriam.

Dices huiusmodi electionem ad gloriam tollere libertatem, cum sit suppositio antecedens, & eâ posita non possit non sequi gloria, ergo homo hoc modo electus non habet libertatem ut non salvetur, sed necessitatus est ad beatitudinem: quod nihilominus non est admittendum.

Hoc tamen peculiarem non continet difficultatem, hic solvendam, sed communem tantum illam de præfinitionibus; cui proinde eodem modo respondendum. Dico ergo (quod fustis prosecutus sum Disp. 25. de animâ, dum de Præfinito. & hic Disp. 37. sect. 7. dum de necessitate scientiæ conditionate ad providentiam) electionem hanc non esse simpliciter antecedentem, cum pendeat à scientiâ mediâ, & consequenter supponat merita aliquo modo futura, nempe conditionate. Unde, licet in potestate prædestinati non sit efficere ut electio illa existat, est tamen in illius potestate facere ut non extiterit: si enim bona illa opera non fuisset liberè facturus, Deus hanc electionem non habuisset.

Tandem dico, etiamsi quosdam hoc modo Deus eligeret, reprobos tamen propterea non pejore loco futuros, quam in aliâ sententiâ; quod enim aliquibus singulare hoc privilegium concedatur, ut ante merita eorum prævisa tanquam absolute futura, eligantur ad gloriam, nihil inde detrahitur aliis, qui hoc modo non eliguntur, in potestate

**VIII.**  
*Licet merita non movent nisi ut existentia, potest tamen Deus eligere ad gloriam, ut non prævisis.*

*Duplex in Deo est voluntas gloriæ ut coronæ, intentionis, & executionis.*

**IX.**  
*Deus non intendit dare gloriam nisi dispositio dante à meritis.*

**X.**  
*Nunquam intendit Deus dare gloriam ob merita conditionate tantum futura.*

**XI.**  
*Obi. Hæc electio non tollere libertatem.*

**XII.**  
*Hæc dispositio non est eum liberè de præfinitione.*

*Electio hæc ad gloriam non est simpliciter antecedens.*

**XIII.**  
*Reprobis præfinita hæc electio, non sunt pejore loco, quam in aliâ sententiâ.*



*Exemplo ostenditur nihil ex huiusmodi electione detrahatur reprobi.*

*Aliquorum electio non impedit quominus alii, si volint, possint idem consequi.*

potestate siquidem illorum est, si bene operari, & gratia atque auxiliis, quæ ipsis à Deo conceduntur, uti velint, & ea reddere congrua, ut & ipsi eligantur: si autem operari nolint, sibi impotent si salutem, sibi à Deo tanquam coronam & præmium propositam, non obtineant. Sicut si dives quispiam, ex decem pauperibus, qui eodem cum eo loco habitant, quinque eligat, quorum singulis viginti aut centum aureos liberaliter & gratis tribuat, aliis autem quinque, offerat similiter viginti aut centum, si laborare velint, & tale vel tale ei obsequium præstare; suntne hi peiore loco, quam essent, si omnibus decem sub conditione laboris aut obsequii pecunia illa proponeretur? Sanè non videtur, cum non minus in potestate suâ nunc habeant, pecuniam illam obtinere, quam in illo casu haberent. Idem est in præsentia.

### SECTIO QUARTA.

*Vtrum de facto Deus eligat ad gloriam ante merita prævisa ut absolute futura.*

**I.**  
*Status præsentis controversia.*

**P**OSSIBILEM esse electionem efficacem ad gloriam, non prævisis absolute meritis ostendimus. Nunc itaque ulterius inquirendum, utro ex his duobus modis de facto Deus in prædestinatione procedat, ante scilicet vel post merita absolute prævisa ut futura.

**II.**  
*De facto Deus non eligit ad gloriam, nisi prævisis absolute meritis.*

Iis ergo non obstantibus, quæ sectione præcedente dicta sunt, existimo cum auctoribus secunde sententiæ supra sect. primâ, num. 3. relatis, Deum de facto neminem ad gloriam, nisi ob merita absolute ante prævisa, eligere. Probatur primò: nam ut optimè docet S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. Corpore, ea quæ ex solâ Dei voluntate proveniunt, ut in præsentia contingit circa Prædestinationem, non aliter nobis, quam ex divinâ revelatione innotescunt, ex iis nimirum quæ in sacris literis traduntur, sed hæc sæpissimè docent electionem ad gloriam non solum fieri ex prævisis absolute meritis, sed etiam, nisi ex iis hoc modo prævisis, non fieri: sic enim Matth. 25. v. 34. dicitur: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. Ubi dicit iudex bona opera esse causam, cur non solum detur, sed etiam paretur regnum, adeoque ipsam quoque electionem ad gloriam, ex meritis ante prævisis fieri.

**III.**  
*Pœna non nisi ex prævisis absolute demeritis decernitur; ergo nec præmiâ, nisi ex prævisis absolute meritis.*

Hoc idem confirmatur ex verbis ibidem ad reprobos prolatis, quos alloquens iudex: *Discedite à me, inquit, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Cum ergo eodem tenore verborum alloquatur electos & reprobos, & tamen, vel ipsis adversariis fatentibus, demoni & reprobis, non solum in executione infligitur ex demeritis supplicium, sed simpliciter ex iis primò paratur ac decernitur; idem ergo, si consequenter loquantur, dicere debent de meritis respectu electionis ad gloriam: vox enim illa paratum, tam in uno loco, quam alio, primum decretum significat dandi gloriam.

**IV.**  
*Conditionati loquendi modi Scripturæ.*

Uterius hoc ipsum declaratur ex conditionatis loquendi modis, frequentissimè circa rem hanc in Scripturâ usurpatis: sic 2. ad Tim. 2. v. 21. dicitur R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

*Si quis se emundaverit, erit vas in honorem, hoc est, erit unus ex electis. Item ad Romanos 11. v. 22. Vide bonitatem Dei in te, &c. si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris: Ubi bona opera causam fuisse asserit, cur eos Deus elegerit, si elegerit, & consequenter illorum electionem ex hisce operibus processisse: & alia huiusmodi, quæ passim in divinis literis reperiuntur, aperteque probant, non executionem tantum, sed electionem, seu primum decretum circa gloriam, à Deo intuitu meritorum haberi.*

Præterea 1. ad Corinth. 2. v. 9. Apostolus hæc habet: *Oculus non vidit, &c. que preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Jacobi etiam 2. vers. 5. loquens Apostolus de regno cælorum: *Quod, inquit, re-promisit Deus diligentibus se.* Juxta S. Paulum itaque cælestis gloria intuitu meritorum, seu dilectionis & amoris præparatur, & juxta S. Jacobum propter eadem repromittitur; præparatio autem & repromissio intentionem significant, & primum circa gloriam decretum. Plura Scripturæ loca videri possunt apud Auctores supra sect. 1. num. 3. citatos.

*indicant electionem post prævisa merita.*

**V.**  
*Aliis Scripturæ testimoniis ostenditur Deum non eligere ante prævisa merita.*

### SECTIO QUINTA.

*Patres docent electionem ad gloriam esse post prævisa merita.*

**H**UIC veritati, quam sectione præcedente ex Scripturâ probavimus, subscribunt Patres quorum infinita testimonia congeruntur à P. Valquez, & aliis Auctoribus, sectione primâ, num. 3. pro secundâ sententiâ citatis: nobis unum vel alterum protulisse sufficit.

S. Ambrosius itaque lib. 5. de Fide cap. 3. hæc inquit, habet Apostolus: *quos præscivit prædestinavit, quia non ante prædestinavit, quam præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum premia prædestinavit.* Quid clarius? Idem docet S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 24. *Prædestinavit (Deus) illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malo vitio discessuros: prædestinavit illos ad regnum, quos præscivit ad se misericordie prævenientis auxilio redituros, & in se misericordia subsequenter auxilio esse mansuros.* Tantundem disertis verbis tradunt S. Hieronymus, S. Prosper, & alii Patres, qui tam clarè loquuntur pro hac sententiâ, ut non videam quibus verbis clarius eam tradere potuissent.

Imò ipse S. Augustinus (de cujus mente hac in re, acerrimè inter utriusque sententiæ auctores disputatur) apertè hoc idem affirmat: nam libro primo ad Simplicianum, quæst. secundâ, cum multa in hanc rem dixisset, tandem subdit: *Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur, nisi distans ab eo qui rejicitur.* En juxta S. Augustinum, quisquis eligitur ad gloriam, præintelligi debet distans ab eo, qui rejicitur: hæc autem distantia in præsentia est, quòd eum prævideat Deus habere gratiam, & esse bonis operibus instructum.

Quòd vero aliqui, ut Bellarminus, & Grahado, velint S. Augustinum hos ad Simplicianum libros, quos juvenis scripsit, in proveciore ætate retractasse; constat aliter rem se habere: in aliis enim postea scriptis libris, hunc ad Simplicianum tractatum laudat, ut de Prædestinatione cap. 4. & de bono perseverantiæ cap. vigesimo. Imò, 2. Retractionum, cap. 1. meminit libri primè ad Sim-

**I.**  
*Electionem esse post prævisa merita, probatur ex Patribus.*

**II.**  
*S. Fulgentius.*

*S. Hieronymus.*

*S. Prosper.*

**III.**  
*Docet S. Augustinus electionem ad gloriam fieri post merita absolute prævisa.*

**IV.**  
*S. Augustinus hos ad Simplicianum libros nunquam retractavit.*



ad Simplicianum, circa quem non solum nihil retractat, sed doctrinam illic traditam laudat: quæ late profequitur Vasquez hic, Disputatione 89. cap. 7.

V. Aliis D. Augustini testimoniis probatur electio post prævisa merita.

Eodem modo loquitur S. Augustinus de voluntate præstanti, & puniendi.

VI. Ex controuersia inter ipsum & Massilienses ostenditur S. Augustinum de statu electionem post prævisa merita.

VII. Quid secundum S. Augustinum opera bona prædestinari.

Qua ex S. Augustino opponuntur soluentur infra.

Deinde libro 83. Questionum, quæst. 68. voluntatem Dei miserentis post primam vocationem (ut se explicat in Retractionibus) & obdurantis, ait non esse iniustam: *Venit enim, inquit, de occultissimis meritis.* Cum ergo eodem modo loquatur de voluntate miserendi, & obdurandi, & hæc sit post opera mala prævisa, illa juxta S. Augustinum erit post prævisa bona. Ad quam rem clarius paulo post loquitur: *Ad misericordiam, inquit, pertinet vocatio, ad iudicium beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & supplicium eorum, qui venire noluerunt.* En eodem modo loquitur S. Doctor de gloria & de damnatione, & utramque esse asserit ex prævisis operibus; nec aliam voluntatem, quam hanc, vel unius assignat vel alterius.

In aliis etiam libris, quos multo post hos ad Simplicianum scripsit, idem testatur: de bono enim perseverantia, cap. 17. in hoc solum differre se ait à Massiliensibus, quod illi fidem & perseverantiam in eâ dicebant esse ex viribus naturæ, non ex prædestinatione, reliqua verò omnia bona opera agnoscebant esse dona Dei, & prædestinata. At verò S. Augustinus contendeat, etiam fidem, sicut & cætera omnia prædestinari, seu ex dono Dei conferri, ut ibidem asserit: constat autem Massilienses, non eo sensu voluisse prædestinari alia bona opera, ut data sint ex intentione efficaciæ gloriæ, imò hoc expressè negabant; ergo idem etiam negabat S. Augustinus, cum in illo uno, quod diximus, ab iis se dissentire asserat.

Uterius etiam ibidem addit S. Doctor, nil aliud esse fidem & reliqua bona opera prædestinari, quam ex dono Dei conferri, esseque ab eo præparata ab æterno, & præcisa: *Si dantur, inquit, & ea se daturum præseruit, præcisa prædestinavit.* Cum ergo hoc totum sine intentione illâ efficaciæ antecedente salvari possit, non est cur eam quis requirat ad Prædestinationem à S. Augustino positam, sed sufficit voluntas gloriæ consequens, seu post opera prævisa: nec unquam duplex decretum efficacis circa eandem rem agnovit S. Augustinus. Quæ pro electione ante prævisa merita ex S. Augustino afferunt contrariæ sententiæ Auctores, solventur postea, Sectione septimâ.

SECTIO SEXTA.

Objectiones contra Prædestinationem post prævisa merita factam.

I. Dicitur Apostolus si de Iacob & Esau non probat electionem ante prævisa merita.

OBIICIUNTUR primò varia Scripturæ loca, & præ cæteris urgetur celebris ille locus de Jacob & Esau ad Rom. 9. v. 10. ubi dicit Apostolus, Priusquam quidquam aut boni egissent aut mali, ut secundam electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, major seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Respondetur, hoc dictum Apostoli, ut notat P. Herice hic, d. 23. cap. 4. num. 44. & Interpretes, juxta literalem sensum intelligi de temporalibus beneficiis, ad quæ Deus, merè ex suo beneplacito, noluit eligere Esau, sed Jacob, in quo, & ejus semine promissiones de terra Chanaan implerentur; cum tamen montes Idumææ concesserit Esau. Unde Malachiæ 1. v. 3. dicitur:

*Dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti.* Quod late profequitur Vasquez hic, Disp. 95. cap. 5. num. 45.

Quod si Apostolum, de bonis spiritualibus quis loqui velit, sermo est (ut asserit S. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 35. atque fuisse communem sui temporis sententiam) non de prædestinatis & reprobis, sed de Gentibus & Judæis; nec mirari debere Judæos, Gentes in donis ac beneficiis Dei, & vocatione ad gratiam sibi esse prælatas, aut promissiones posteris Abraham factas, propterea reddi irritas, cum hæc, non filiis Abraham carnalibus, sed spiritualibus sint factæ: Unde & Isaac, inquit, prælatus est Ismaeli, & Jacob Esau, licet ambo æquè fuerint filii Abraham secundum carnem. Eodem ergo modo, inquit Apostolus, dat Deus Gentibus vocationem, & auxilia efficacia ad obtinendam gratiam, Judæos cum inefficacibus relinquentes, & incongruis.

Tandem, si quis intelligi Apostolum existimet de electione ad gloriam; propterea dicitur Deus gratis in radice elegisse Jacob, non Esau (si tamen non sit salvatus) quia in iis Jacob ponere voluit circumstantiis, in quibus prævidebat fore, ut in bene operando perseveraret, & vitam æternam consequeretur: Esau econtrâ in talibus circumstantiis est constitutus, in quibus contrarium videbat eventurum, eique dare voluit auxilia tantummodo sufficientia; hoc autem dici aliquo modo potest eum odisse, id est minus amasse; quo sensu jubemur amicos, parentes, & nosipfos odisse, id est minus diligere, quam diligamus Deum.

Objicitur secundo illud Lucæ cap. 12. vers. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Volunt nonnulli complacentiam hanc de qua loquitur Christus, esse voluntatem efficacem dandi gloriam. Alii tamen, & est communior Interpretum opinio, aiunt voluntatem illam qua hic dicitur Pater æternus velle iis gloriam, esse solum conditionatam, si nimirum perseveraverint: cujus indicium est, tum quia non solos electos hic allocutus est Christus (cum & Judas tunc præsens fuerit) sed vel omnes Apostolos, & Discipulos, ut vult Theophilactus, vel etiam totam Ecclesiam, ut Euthymius, & alii: tum quia aliæ ejusmodi promissiones iis factæ, erant conditionatæ, ut *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Idem etiam erat de promissionibus circa bona temporalia, & ea quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, ut circa victum, vestitum, &c. exemplo liliorum. Videatur Maldonatus, qui rem hanc optimè declarat.

Objicitur tertio illud Actorum 13. v. 48. *Crederunt quodquot erant præordinati ad vitam æternam.* Unde ex hoc loco S. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 20. inferre videtur electionem ad gloriam fieri ante prævisa merita. Tres loci hujus expositiones ex variis Auctoribus refert P. Herice hic, Disp. 23. cap. 4. num. 29. Illa inter cæteras videtur præferenda, quod dum hic præordinati dicuntur ad vitam, vita intelligatur radicaliter, id est via ad vitam æternam, Fides scilicet in verâ Ecclesiâ, ita ut præordinati ad vitam, seu gloriam, dicantur mediâtè, seu quod in semitâ, quæ ad illam ducit, constituantur. Ita hunc locum interpretantur Salmeron, Stapletonius, Erice, & alii.

Hoc

Locus hic de reprobis beneficiis est intelligendus.

II. Aliis solum locis illi citatis Iacob & Esau post, de Gentibus, & Judæis.

Sermo est de filiis Abraham spiritualibus, non carnalibus.

III. Tertia est sententia illi hujus de Jacob & Esau.

Quæ sententia odium dandi famatur.

IV. Quæ voluntas intelligitur si nolite timere pusillus grex, &c.

Voluntas illa dandi regnum tantum est conditionatam.



SECTIO SEPTIMA.

Solvuntur quedam circa mentem  
S. Augustini de electione ad gloriam:  
Vbi quid sit eligi secundum pro-  
positum divinæ voluntatis.

VI. Hoc tamen testimonium nonnulli ita intelli-  
gunt, ut velint hæc verba significare credidisse  
eos, qui ab æterno præordinati erant ad gloriam,  
ob merita nihilominus prius ratione prævisa.  
Hæc tamen explicatio multis non ita videtur pro-  
babilis: & merito; nam ut rectè Herice citatus,  
non videtur Spiritus Sanctus voluisse revelare eos  
omnes salvandos, qui tunc Divo Paulo prædicanti  
credebant. Multò ergo minùs intelligi debet  
illos omnes præordinatos ad gloriam fuisse ante  
prævisa merita, & eorum prædestinationem hinc  
fuisse revelatam. Sanctus verò Augustinus aliud  
nihil vult, quam ordinationem ad vitam à Deo  
esse, non à nobis sine gratiâ Dei, ut nonnulli ex  
hareticis affirmabant.

VII. Objicitur quartò illud ad Ephesios c. 1. vers. 4.  
Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse-  
mus sancti & immaculati in conspectu eius; quæ  
postrema verba indicare videntur Apostolum loqui  
de electione ad gloriam. Resp. cum P. Cornelio  
in hunc locum, P. Lessio in Disp. hac de re, n. 38,  
& probabile putat P. Herice Disp. illâ 23. c. 4. n. 42.  
respondetur, inquam, sermonem hic esse de elec-  
tione ad gloriam, non completâ, sed incom-  
pletâ tantùm & inchoatâ, ad fidem nempe & gra-  
tiam, sicque inchoatè ad gloriam, si nimirum in  
susceptâ fide & gratiâ ad finem usque vitæ per-  
severent.

VIII. Hæc ergo & similes Scripturæ locutiones solum  
probant Prædestinationem omnino completam  
& integram non esse ex meritis, sed simpliciter  
ante omnia merita, cum Prædestinatio omnino  
completa includat totam seriem Prædestinationis,  
sicque electionem, non ad gloriam tantùm, sed  
etiam ad gratiam; Prædestinationem autem ut est  
ad gratiam nulla possunt merita præcedere, cum  
omne meritum gratiam supponat, sicque abiret-  
ur in infinitum, vel principium meriti caderet  
sub merito.

IX. Objicitur quintò dictum illud Apostoli ad  
Romanos 8. v. 28. Quos præscivit, & prædestinavit  
conformes fieri imaginis Filii sui. Respondetur sen-  
sum esse, quos Deus præscivit per gratiam ipsis  
collatam rectè vitam instituturos, hos ad gloriam  
tanquam meritorem præmium destinavit. Ad  
quam rem S. Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 3.  
sic scribit: *Apostolus ait, quos præscivit prædestinavit,  
quia non ante prædestinavit, quam præsciret, sed quo-  
rum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.*

X. Tandem ad verba sequentia, Quos autem præ-  
destinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos &  
iustificavit: quos autem iustificavit, hos & glorificavit:  
horum, inquam verborum sensus est, quos Deus  
ab æterno prædestinavit, iustificavit in tempore:  
unde ex hoc dicto non habetur electionem ad  
gloriam naturâ præcedere justificationem & me-  
rita, sed tempore solummodo & duratione.

XI. Hoc etiam modo intelligenda sunt verba illa  
Matth. 24. v. 22. Propter electos breviabuntur dies illi:  
Deus nempe prius naturâ electione eorum ad  
gloriam, hanc dierum seu temporis abbreviatio-  
nem, velut medium decrevit ad eorum salutem.  
Propter eos itaque, quos elegit ab æterno, bre-  
viabit dies in tempore, & eo modo rem execu-  
tionis nunc mandabit, quo tunc decrevit. Tem-  
poris proinde abbreviatio, naturâ prior est, tem-  
pore posterior electione ad gloriam.

OBJICITUR sextò S. Augustinus, cuius  
ut in aliis omnibus, ita in hac peculiari  
controverfiâ de Prædestinatione, maxima semper  
fuit auctoritas. Non ergo dubium videtur, in-  
quunt, quin S. Augustinus hujus controverfiæ  
in libris de Prædestinatione Sanctorum, & de  
bono perseverantiæ, fecerit mentionem, in quibus  
tamen nihil est quod nostræ faveat sententiæ, mul-  
taquæ adversentur. Respondetur controverfiam,  
quam tunc præ manibus habebat S. Augustinus,  
fuisse vel cum Pelagianis, Dei gratiam secundum  
naturalia nostra merita dari afferentibus, vel cum  
Massiliensibus, seu Semipelagianis, qui doctri-  
nam Pelagii mitigantes, inchoationem saltem  
quandam à nobis per naturales vires procedere  
dicabant, & intuitu illius, tanquam meriti,  
Deum fidem dare, gratiamque & reliqua dona  
supernaturalia infundere afferebant. Contrâ hos  
itaque contendit S. Augustinus, nos ne incipere  
quidem sine Deo posse, sed gratiam Dei nobis-  
cum illam etiam inchoationem efficere. Nil ergo  
mirum si nihil ibi hac de re dixerit. Quæ hæc  
prosequitur Vasquez hic, Disp. 89. cap. octavo.  
Respondetur secundò S. Augustinum quæstionem  
hanc in illis libris obiter tetigisse, ut supra, Sect. 5.  
num. 6. & 7. ostendi; sed cum non esset illa, de  
qua tunc agebatur controverfiâ, rem hanc capite  
quarto de Prædestinatione Sanctorum ad librum  
remittit, quem scripserat ad Simplicianum, ubi  
mentem suam de hoc puncto apertè declarat, ut  
vidimus Sect. 5. num. 3.

URGENT, S. Augustinum frequenter in hoc di-  
stinguere prædestinatos à reprobis, quòd illi ele-  
cti sint secundum propositum voluntatis divinæ,  
non hi, idque electione perseverantiam antece-  
dente, tanquam illius causâ. Unde de reprobis  
ait, Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobil-  
cum. Confirmatur primò, libro enim de corre-  
ptione & gratiâ, cap. 7. discretionem quandam  
ex mala perdicionis dari asserit; quæ, inquit, est  
causa cur his detur auditio Evangelii, fides, per-  
nitentia si postea peccent, & perseverantia, hoc  
autem aliud nihil est, quam voluntas eligens eos  
ad gloriam, idque ante opera, cum sit causa ope-  
rum: ergo. Confirmatur secundò: nihil siqui-  
dem apud S. Augustinum frequentius, quam nos  
eligi gratis; ergo non post prævisa merita, sed in-  
dependentè ab illis. Hæc sunt præcipua, quæ ex  
S. Augustino afferri solent, & quibus solutis,  
haud difficilis erit ad alia responsio.

UT ab hoc ultimo incipiam: ab omnibus perin-  
de in doctrinâ S. Augustini est solvendum: nec  
enim solum dicit eligi nos gratis; sed gloriam dari  
gratis: ubi apertè loquitur de voluntate executivâ.  
Ideo ergo gloriam ait dari gratis, quia datur ob  
merita, quæ dantur gratis. Hanc doctrinam  
pulchrè nobis tradit Sanctus hic Doctor, tum  
alibi, tum Epist. 105. ad Sixtum: *Ipsa vita æterna,*  
inquit, *quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo*  
*meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem me-  
rita, quibus redditur, non à nobis parata sunt, per*  
*nostram*

I. Quid in hac  
controverfiâ  
de electione  
ad gloriam,  
ante, vel post  
prævisa me-  
rita senserit  
S. Augusti-  
nus.

Quæ S. Au-  
gustini cum  
Semipela-  
giani fuerit  
controver-  
fiâ.

Quæstionem  
de electione  
remittit S.  
Aug. ad li-  
brum quem  
scripsit ad  
Simplicia-  
num.

II. Tres præci-  
pua difficul-  
tates ex S.  
Augustino  
desumptæ  
circa electio-  
nem ad glo-  
riam ante  
prævisa me-  
rita.

III. Quo sensu  
dicat S. Aug.  
nos eligi ad  
gloriam gratis.





nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa, gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; neque ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.

IV. Gloria ideo datur gratis, quia ob merita datur, quae dantur gratia.

Hinc ergo constat, S. Augustinum propterea vitam aeternam, quando datur (quod fit per voluntatem executivam) esse gratiam, & gratis dari, quia id, intuitu cuius datur, nempe gratia, & bona opera ex gratia facta, dantur gratis. Ad quam rem cap. 8. de Gratia & libero arbitrio, sic scribit: *Vita aeterna sine dubio, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis datur & illa, cui datur, nempe gratia.* Haec ille. Imò ibidem addit, nullo alio modo posse dissolvi hanc quaestionem, nempe quomodo vita aeterna fit gratia, nisi quia datur intuitu operum, quae oriuntur à gratia.

V. Aliam efficacem voluntatem respectu gloria in Deo non ponit S. Augustinus, quàm executivam.

Frustra ergo quaeritur in S. Augustino alia voluntas efficax circa gloriam, quàm haec executiva, per quam dicantur electi, cum, ut ait loco supra lect. 5. citato ad Simplicianum, nullus eligatur, nisi distans ab eo qui rejicitur, id est qui merita habet, quibus alter caret: ergo electio secundum S. Augustinum est dependenter ab operibus praevius, sicque juxta ipsum eadem est voluntas eligens ad gloriam, & voluntas executiva, cum sequatur opera, nec aliam electionem quàm hanc unquam agnovit S. Augustinus. Quod etiam docet lib. de correptione & gratia, cap. 13. & de spiritu & litera cap. 32. & alibi.

VI. Gratia in radice eligitur ad gloriam.

Hoc etiam modo explicanda est Scriptura, dum ait nos electos esse gratis, in radice nimirum, quia scilicet voluntas Dei decernens gloriam nititur in fundamento gratiae, & operum à gratia precedentium, & hac de causa vocatur gratuita.

VII. Quid juxta S. Augustinum sit discretio ex massa perditionis.

Ad primam Confirmationem supra, num. 2. positam dico, per discretionem illam ex massa perditionis intelligere S. Augustinum ipsam praedestinationem, quatenus est praeparatio beneficiorum Dei; per hanc enim operatur Deus illa omnia, vocationem scilicet, justificationem, perseverantiam &c. per quae electi gloriam seu salutem consequuntur.

VIII. Quid secundum S. Augustinum sit Propositum voluntatis divinae.

Nunc ad argumentum supra ntm. 2. ex S. Augustino factum, Respondetur Propositum illud juxta ipsum esse voluntatem dandi auxilium congruum ad fidem, & gratiam, ac bona opera, & perseverantiam; quae omnes voluntates constant unum integrum Propositum perducendi hominem ad vitam aeternam. Quae de causa reprobi dicuntur ab ipso non esse vocati secundum Propositum: ceteri enim vocentur ad finem, & sapè etiam ad gratiam, & bona opera per auxilia congrua, non tamen habent auxilium congruum ad perseverandum; reliqua autem auxilia, sicut sine hoc non sufficiunt ad perducendum hominem ad caelum, ita reliquae voluntates, ut voluntas vocandi congruè ad fidem & bona opera, &c. sine voluntate dandi auxilium congruum ad perseverandum, non constituunt propositum, sicut nec conflant totam & adequatam Praedestinationem.

Propositum, ex variis divinis voluntatibus constituitur.

IX. Tota Praedestinationis series non potest adire sub merito.

Hinc ergo constat totam seriem Praedestinationis cadere non posse sub merito; una quidem illius pars objectiva mereri aliam potest, ut bona opera merentur gloriam: prima tamen vocatio haberi ex meritis nequit, cum sit omnis meriti, seu bonorum operum, ex gratia factorum fundamentum. Et per haec patet responsio ad id quod objici solet ad Romanos octavo, v. 28. *Diligen-*

tibus Deum omnia cooperantur in bonum, is qui secundum Propositum vocati sunt Sancti.

SECTIO OCTAVA.

Aliae quaedam objectiones contra electionem post praevia merita:

Vbi etiam de mente

S. Thomae.

**O**BJICITUR septimò: quisquis ordinatè & connaturaliter operatur, prius finem intendit, quàm eligat media, vel ea applicet: ergo Deus, cujus operatio omnis est ordinatissima, prius gloriam intendere debet, quàm media ad illius consecutionem ordinata, bona scilicet opera det vel adhibeat: ergo datur electio ad gloriam antequam sint, nedum praevideantur opera. Respondetur, quicquid sit de rebus mere physicis, in moralibus tamen, maxime quando finis conferri debet ob merita, ordinatissimum procedendi modus est, ut prius sint & praevideantur opera, quàm Deus eorum intuitu gloriam, seu praemium dare intendat: esto enim contrarium non sit impossibile, ut supra lect. tertià ostendi, maxime tamen connaturalis via est, ut merces laborem, corona certamen, praemium merita supponat, etiam in intentione; id siquidem in humanis semper fere contingere videmus: imò cum una haec voluntas executiva sufficiat, quae nimirum Deus vult gloriam dare propter merita, frustra quis aliam requisiverit, ut lect. praecedente declaratum est.

Dices, si Deus antecedenter ad merita non habeat voluntatem efficacem circa gloriam, quare dat praedestinatim media efficacia, reprobis tantum sufficientia. Respondetur, quia vult: occulto, ut ait S. Augustinus hom. 3. in Joannem, *judicio, non injusto, & cujus ratio, ut alibi ait, in caelo apparebit, esto hic nos lateat.* Sicut in contrarià sententià, ideo Deus hos eligit ad gloriam, non alios, quia vult: in quo situm est profundissimum Praedestinationis mysterium, quod mirari nos jubent Patres, non indagare, dicente de eà Apostolo ad Romanos. 9. v. 20. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo.* Quare, loquens hac de re Sanctus Augustinus Homil. 53. in Joannem: *Exclamemus, inquit, cum Apostolo, O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus.* Nullam ergo aliam voluntatem circa gloriam praedestinatorum habet Deus ante eorum merita praevia, quàm inefficacem illam, quae vult omnes homines salvos fieri, electis juxta & reprobis communem.

Urgebis, si Deus inefficaciter tantum intendat finem, non potest adhibere media efficacia; ergo alia in Deo statuenda est voluntas, quae gloriam intendat, praeter inefficacem illam, & conditionatam, per quam aequaliter vult salutem reprobis & praedestinatorum. Respondetur, si sola ratio adhibendi media esset finis, verum esset antecedens, sed media diversas ob causas adhiberi possunt; licet namque ratio motiva sit finis, variae tamen aliae esse possunt rationes, quas vocant impulsivas, quibus moveri quis potest, ut talia vel talia media adhibeat. Sic ergo in praesenti, licet Deus ex intentione illa gloria moveatur ad media, ut aiunt, quoad substantiam, seu ad aliqua media, vel auxilia danda, quod tamen haec vel illa

I. Obj. in connaturali operandi modo prius intenditur finis, quàm media.

Alia circa intentionem est de finem physico, aliud de moralibus.

II. Deus alii dat media efficacia, alii sufficientiam, seu inefficacia, merè quia vult.

Quam voluntatem circa gloriam habet Deus ante praevia merita.

III. Ostenditur quomodo Deus efficacia auxilia adhibere possit, licet inefficaciter tantum intendat gloriam.

Deus ex voluntate saluandi oia, movetur ad media aliqua adhibenda.



vel illa tribuat in particulari, congrua vel incongrua, id facit, vel quia vult, vel ad bonum interdum aliorum; per hanc enim gratiam, quam aliqui recipiunt, disponuntur ut aliorum salutem promoveant, vel quia connaturalius dari huic potest in his circumstantiis auxilium congruum, quam alteri, ut fusc ostensum est supra, Disp. 38, sect. tertiâ, num. 7. & octavo.

IV. Negare videtur S. Thomam electionem ante prævisa merita.

V. Mens S. Thomae declaratur.

Quo sensu dicat S. Thomas, merita non esse causam voluntatis divinae.

VI. Cur affirmet S. Thomas præscientiam meritorum non esse causam prædestinationis.

VII. S. Thomas prædestina-

Objiciunt ultimò S. Thomam hic, q. 23, art. 5, dicentem præscientiam meritorum non esse causam, vel rationem Prædestinationis: & in Corpore articuli ait nullum fuisse ita infanz mentis, qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis, ex parte actus prædestinantis.

Sed hoc secundum explicare omnes debent, cum S. Thomas ibidem, & fides ipsa doceat, bona opera esse causam meritoriam gratiæ & gloriæ; idem autem est, ut supra, sect. 2, num. 6. & 7. ostendi, mereri præmium, & mereri voluntatem dandi præmium, seu movere præmiantem ut illud velit conferre. Quando ergo dicit Sanctus Doctor nullum fuisse tam infanz mentis, qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus &c. solum vult, aut non posse ea esse causam physicam voluntatis divinæ, ut loco proximè citato notavi, aut ideo hoc rejicit, quia sonare videtur Deum velle per actus realiter distinctos, ut insinuare videtur hic, q. 19, art. 5. quo se in præsentem remittit. At verò merita esse causam moralem, seu motivam voluntatis divinæ, nunquam negat S. Thomas.

Ad primum autem, dum scilicet asserit præscientiam meritorum non esse causam prædestinationis, dicendum S. Thomam his verbis loqui de Prædestinatione, non prout tantum est electio ad gloriam, sed prout etiam voluntatem dandi gratiam & auxilia, adeoque totam seriem prædestinationis, à primâ vocatione, usque ad collationem gloriæ includit, ut postea se explicat: hoc autem modo clarum est, non posse merita esse causam, vel rationem prædestinationis, ut ibidem ostendit Doctor Angelicus contra Pelagianos.

Imò, vel hinc probatur S. Thomam esse nostræ sententiæ; cum enim eâ solum ratione dari nolisset causam Prædestinationis, quatenus scilicet

est completa, seu ut primam etiam vocationem, totamque adeo Prædestinationis seriem includit: cum inquam, solum neget posse dari causam Prædestinationis prout est volitio dandi primam vocationem; admittit posse Prædestinationis, seu voluntatis divinæ dari causam quoad alias partes Prædestinationis, sicque merita movere, seu esse causam moralem volitionis dandi gloriam. Unde capite octavo ad Romanos versus illum explicans: Quos præcipit, & prædestinavit, &c. Quidam, inquit, dicunt quòd præscientia meritorum malorum & bonorum, est ratio Prædestinationis & Reprobationis; & hoc rationabiliter diceretur, si Prædestinatio solum respiceret vitam æternam, que datur meritis.

Hoc ipsum ex eodem S. Doctore ulterius ostenditur: hic enim art. 5. merita docet esse causam gloriæ: hoc autem intelligi alio modo nequit, quam quòd moveant divinam voluntatem ad volendum dare gloriam. Merita quippe non influunt physicè in gloriam ex parte objecti, sed in genere tantum causæ moralis meritoria, quæ intentionaliter solummodo influit, ut sæpius dictum est. Unde in prima dist. 41, quæst. 1, art. 3. hac de re disputans, tandem ait: Vult Deus ut iste habeat gloriam, non ille, quia iste est dignus, non ille: ergo secundum S. Thomam voluntas Dei prædestinans quoad gloriam habet causam.

Hæc sunt præcipua quæ ex S. Doctore circa Prædestinationem afferuntur, & ubi quæstionem tractat in terminis. Quando ergo hic, art. 4. & quæst. 6. de veritate, & alibi ait Prædestinationem supponere electionem & dilectionem, solum velle videtur, ut in Corpore articuli insinuat, exercitium quod in tempore fit, præsupponere electionem, seu dilectionem, tam respectu gratiæ, quam gloriæ, quæ fuit ab æterno. Quando verò Sanctus Thomas hac quæstione 23, artic. 7. Corpore ait numerum Prædestinatorum esse certum, singulari quadam definitione, intelligit, certo hominum & Angelorum numero seriem auxiliorum congruorum à Deo conferri, quibus cooperando, salutem consequentur.

tionem præcipit post prævisa merita.

VIII. Docet S. Th. dari causam volitionis divinae.

IX. Quo sensu prædestinatio supponat electionem & dilectionem.

